



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Musici.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

detur, sic qui cantat carmina cordi pessimo; id est, sic vir prudens verbis suis industriè & artificiosè compositis medetur cordi quantumcunque malè affecto, & pessimè constituto. *Quomodo pulchras frustra habes claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum* [quales sunt sordidi Poëtæ] *parabola.* Prov. 26. Sive carmen alias non inelegans. *Os lubricum* (maximè obscœni Poëtæ) *operatur ruinas.* Ibid. Animarum scilicet, quia plurimi adolescentes seducuntur ingeniosis, & simul impuris versibus. Tu Poësin tuam applica ad eorum animas igne sacro accendendas, ut verè dicere possis: *Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.*

Musici.

Quia & Poëta & Musicus canit, & excellens Poëta ac Musicus obnoxii sunt Enthusiasticis; non videntur ab invicem separandi. Author musices dicitur fuisse Lamechi filius Jubal, unde *to jubulare* quidam derivant, eamque in officina Tubalca in fratris sui primi fabri per diversos sonos ictuum mallei adinvenit. *Gemma carbunculi in ornamento auri, & comparatio Musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus Musicorum in jucundo & moderato vino.* Eccl. 32. Et quam vim non habet musica? cùm in cunis puer vagire incipit: continuò nutriculæ cantantis voce sopitur. Etiam modulatio aliqua rudis in omnibus fermè operibus laborem

allevat. *Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras* teste Virgil. imò certæ nationis milites tormentum famis cantu mitigant. Nec tantum homines delectat musica, sed & irrationabilia animalia. Muli tintinnabulorum sonitu delectantur, & equi tubarum clangore arrecti incertamen ruere ardent. Sed quid in terris hæremus, dum de musica loquimur. *Concentum cæli dormire quis faciet?* Job. 38. Concentus, quem motu suo cæli inferiores faciunt, sed vel maximè in cælo empyreo canticum, quod cantant virgines sequentes agnum Apoc. 14. Pertinet ad gaudia accidentalia Beatorum. Quomodo delectet cælestis musica, etiam instrumentalis; expertus est S. Franciscus Seraphicus, cum enim Angelus ad eum mœstum exhilarandum vel semel leviter perstringeret chelyn, rogavit eum Sanctus, ne alterâ id vice faceret; eò quòd aliàs præ nimio cordis jubilo ei halitus intercludendus, & ipse certò moriturus esset. Amor genuinæ musicæ sive harmoniæ signum est prædestinationis. *Tu hanc non impediās musicam.* Eccl. 32. Musicæ peculiaris laus est, quod in templis Dei laudes concinat, & fideles ad Dei servitium excitet. *Laudent nomen ejus in Choro, in tympano & psalterio psallant ei.* Pl. 149. *Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* Pl. 148. *Laudate eum in sonitu tubæ, laudate eum in psalterio & cythara, laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo, laudate eum in cymbalis jubilationis (tutti in instrumentis) Omnis spiritus* (tutti)

(tutti in vocibus) laudet Dominum. Pl. 150. *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, confitemini Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi. Cantate ei canticum novum, benè psallite ei in vociferatione.* Pl. 32. *Confitebor tibi in cythara Deus meus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Pl. 32. Optimi Musici sæpè sunt melancolici, *alegro* sæpè etiam nolunt cantare rogati. *Alegro* qui cito dat bis dat. Si excellens Musicus sit singularis & exotici ac pertinacis vel inflati genii, vitium hominis est non artis, nam & in aliis sæpè artibus excellentes non sunt sortiti animam & indolem bonam, in quibus ideo medicriter versati sæpè sunt gratiores & utiliores quàm Magistri in arte. Leopoldus Imperator magnus musices amator instigatus, ut quanto-cyus castratos suos expelli ex aula juberet, eò quòd ipso etiam præsentè interpellati noluis- sent canere, respondit: *Habt Gedult, es seynd nur halbe Männer.*

Tria præcipuè sunt observanda Musicis 1. *in templo*, ut, dum canunt Dei laudes, non ipsi laudari appetant, & pascantur fumo inanis gloriae. 2. *domi*, ut juxta vetus adagium *cantores amant humores*, habitum se ingurgitandi non acquirant. 3. *foris*, & in confortio aliorum, ut non canant scurrilia obscœna, aut Veneris sint mancipia.

Et quia otium est pulvinar Diaboli. Magni Domini habeant Musicos, qui simul in arte alia vel scientia aut servitiis in aula præstandis occu-

pati sint. Nil sanè dolendum magis, quàm si
 musicus aut cantatrix, quòd aliquoties per an-
 num canat, accipiat salarium aliquot millium
 imper. annuum & majus eo, qui pro admini-
 stratione justitiæ felici, & exacta populorum gu-
 bernatione noctu diuque laborat. Ubi canta-
 trix vox est prætereaque nihil, & utinam non
 sapè aliquid præterea.

Rhetores, Candidati eloquentia sacra & profana,

Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.
 1. Reg. 2. Ipse tanquam imbres mittet elo-
 quia sapientia sua. Eccl. 39. In lingua, sapientia
 dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in
 verbo sensati. Eccl. 4. Boni scilicet Oratoris &
 Concionatoris. Mors & vita in manibus lingue.
 Prov. 18. eloquentis Oratoris; qui populam
 & ad vitam & ad mortem æternam potest per-
 ducere. *Circumvenimini vento doctrina.* Ephes.
 4. Erit tempus, cum sanam doctrinam non susti-
 nebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi
 Magistros (Lutherum ejusque asseclas, novum
 Evangelium, quod v. g. sola fides justificet, &c.
 protrudentes) prurientes auribus, & à veritate
 quidem auditum avertent, ad fabulas autem con-
 vertentur. 2. Tim. 4. Sic & plebs attrahitur lu-
 dicris narratiunculis, quæ tamen Majestatem
 verbi divini prorsus dehonoraunt. *Habentes do-
 nationes secundum gratiam, qua data est nobis,
 sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in ex-
 hortando, odientes malum, adherentes bono.*
 Rom.